

sacramenti institutionem, quod valetudo aliquando supernaturali virtute restituatur; hoc enim cum nos lateat, non censetur inter effectus miraculosos: sicut nemo pro miraculo habet transsubstantiationem in Eucharistia, aliosque supernaturales effectus sacramentorum, qui sensus nostros fugiunt.

Inst. S. Jacobus jubet omnes infirmos ungiri: sacramentum autem unctionis non praebetur, nisi semimortuis cadaveribus; ergo unctio ista non est ritus a B. Jacobo prescriptus.

R. 1^o. N. M. Cum peculiari Dei beneficio, atque interdum miraculo sananda fuerint per unctionem sacram corpora, credi non potest prescriptam a Christo fuisse, aut a Christianis adhibitam illis, quibus v. g. dentes dolerent aut qui leviter quodam valetudinis incommodo tenerentur. Sane Jacobus ungendum præcipit Καρυοντα, h. e. morbo oppressum ac fatiscentem.

R. 2^o. N. min. Nuspiam præscribitur in Ecclesia, sacramentum hoc solis semimortuis cadaveribus esse impertendum, licet ejus capacia sint. Eugenius IV. in Decreto ait, *hoc sacramentum non nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari debere*. Tridentinum cap. 3. declarat, *hanc unctionem infirmis adhibendam: illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur*, etc. Theodorus Cantuariensis in L. Pœnitentiali scribit, *inungendos infirmos in periculo mortis positos*. Eadem plane verba habet Concilium Mogunt. c. 26. (Labb. t. 8. p. 49. D. E.) an. 847. celebratum. Eadem constant ex historiis Ecclesiasticis, quarum exempla quædam supra adduximus, ex quibus intelligimus sensum eumdem fuisse Patribus et Conciliis caeteris, qui dicunt infirmis adhibendam esse sacram unctionem, etsi de mortis periculo mentionem nullam faciant.

Cæterum monet Synodus Bituricensis habita anno 1584. et Burdigalensis anno sequente celebrata, Tit. 13., et Concilium Mediolanense IV. sub S. Carolo Borromæo coactum, Tit. 6. de Extr. Unct. (Labb. t. 15. p. 458.) *Ut tempestive hoc sacramentum ministretur ægroto, dum integris est sensibus; nec differatur, dum omnibus pene sensibus destitutus sit*. Nec sine multa ratione: ita enim utilior erit infirmo, qui se per actus pietatis ad fructus ejus percipiendos potest disponere. Deinde cum animam alleviet hoc sacramentum, profecto hoc levamento ægrorū magis indiget initio morbi et in ejus decursu, quam cum prope depositus omnem doloris sensum amisit. Denique sera illa inunctio plane adversatur secundario effectui hujus sacramenti, quæ est recuperatio sanitatis: non enim miraculo effectus iste præstatur, sed supernaturali virtute; quæ vim causarum naturalium non supplet, sed adjuvet.

327. *Obj. IV.* Unctio sine dono curationis partim ab hereticis, partim ab ethnicis fuit introducta. S. Irenæus L. 1. c. 21. ait, Valentinianos omnium primos ceremonia hac usos fuisse. De veterum unctione scribit Virgilius: *Lavant corpus frigentis, et ungunt*. Ergo a Christo non fuit instituta unctio, nisi cui fuit annexum donum curationis morborum.

R. N. *Ant.* Valentiniani ungebant cadavera mortuorum, ut haeresi 36. aperte testatur Epiphanius. Aquam oleo miscebant, ut talis unctio illis esset loco baptismi; utebantur inauditis quibusdam et horribilibus verbis hebraicis, a quorum impietate multum dissidet nostrum sacrae unctionis mysterium. Quanquam etiam Christiani olim laverint mortuorum corpora, ut de Tabitha legimus Act. 9. v. 37, et nunc adhuc lavant. Ungi quoque consuevit

a Judæis mortuos indicat Dominus Matth. 26. v. 12 dum ait: *Mittens unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit*. Et Joannes c. 19. v. 40. scribit, corpus Christi de cruce depositi pretiosissimum unguentum et aromatibus suis conditum, *sicut mos est Judæis sepelire*. Morem istum a majoribus suis acceperunt: nam Gen. ult. traditur, cadavera patriarcharum Jacob et Joseph sic fuisse curata. Unde apparet, quam impudenter mentiatur Kemnitius, ritum, quem Dionysius c. 7. de Eccles. Hierarch. refert, ab ethnicis superstitionibus desumptum fuisse.

Nemini autem ritus Christianorum pii et divinitus instituti ideo debent vilescere, quod ethnicæ aut hereticæ similes ceremonias adhibeant ad suas superstitiones: scimus enim, eos etiam aqua et vino in abominandis mysteriis suis usos fuisse: quæ elementa nihilominus adhuc in Baptismi et Eucharistiae celebratione usurpamus.

ARTICULUS II.

MINISTER EXTREMÆ UNCTIONIS.

328. *Dico I.* Soli sacerdotes sunt ministri idonei Extremæ unctionis. *Prob. I.* S. Jacobus in epist. jubet induci presbyteros Ecclesiarum, qui ministerium hoc peragant. Quæ verba de solis sacerdotibus consensus Ecclesiarum orientalis et occidentalis, ac perpetua traditio Patrum et Conciliorum explicant. Ex quibus Concilium Florentinum in Decreto Eugenii, *Minister*, inquit *hujus sacramenti est sacerdos*. Et Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 3. de Extr. Unct. declarat, nomine *presbyterorum Ecclesiarum*, eo loco, non aetate seniores aut primores in populo esse intelligendos; sed aut episcopos, aut sacerdotes ab ipsis rite ordinatos per impositionem manuum presbyteri. Et contrarium dicentes, can. 4. damnat.

Prob. II. Idem B. Jacobi nomen *presbyteros*, de sacerdotibus accipi oportere, scribit INNOCENTIUS I. in dicta ad Decentium epist. et addit: *Cæterum illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est*. S. Gregorius in Sacramentario ministros hujus unctionis modo presbyteros, modo sacerdotes vocat. Concilium Aquisgranense can. 5. monet, curandum esse sacerdoti, ne per ejus negligentiam infirmus confessione, sacerdotali oratione aut unctione sacrati olei careat. His adde alia Patrum et Conciliorum testimonia n. 312. adducta, quibus nonnisi episcopi aut presbyteri sive sacerdotes ad sacramenti hujus ministerium a B. Jacobo designati fuisse dicuntur.

329. *Dico II.* Quamvis sacramentum istud a presbyteris pluribus aut Episcopis administrari possit; ad ejus veritatem tamen vel unicus eorum sufficiet.

Prob. 1^a. pars. In Ecclesia græca septem sacerdotes adhiberi solent ad sacram unctionem peragendam, ut constat ex Arcadio L. 5. c. 3. et ex Simeone Thessalonicensi apud Joan. Morinum sub finem commentarii de sacram. Pœnit. Quin etiam in Ecclesia latina plures olim ministros ad sacram unctionem conferendam accersitos fuisse, cognoscimus ex L. sacra-

mentorum Gregorii M. ubi præscribitur, infirmum tam a Pontifice, quam ab omnibus presbyteris benedici ad intungendum..... *Multi enim sacerdotes infirmos perungunt in quinque sensus corporis.* Eadem confirmant rituales libri supra memorati. Eparchius Engolismensis in vita Caroli M. scribit, ipsum ab Episcopis oleo sancto inunctum fuisse an. 814. Ejusdem sententia fuit S. Thomas L. 4. contra Gentes, c. 73.

Vario autem ritu sacramentum hoc a sacerdotibus pluribus ministrabatur. Aliquando alius oleum applicabat, altero formam pronuntiante, ut liber sacramentorum S. Gregorii, aliique Rituales supra memorati innuunt. Aliquando singuli ungebant easdem corporis partes, et formam ungendo efferebant, prout videre est in Codice Tiliano et Remigio Rhemensi (v. notas Menardi ad sacramentarium S. Gregorii. Patrolog. t. 78. p. 326. et seqq.): quo in casu non multiplex, sed unum erat sacramentum ex plurim actionibus resultans. Aliquando sacerdos quilibet aliud organum vel membrum ungebant, ut præcipiunt Euchologia Græcorum. Quam methodum probat S. Thomas in 4. d. 23. q. 1. a. 1. q. 2.

Prob. 2^a. pars. Innocentius I. epist. cit. Episcopum ad hoc sufficere judicat. Alexander III. c. *Quesivit*, de verb. sign. *Sacerdos uno*, inquit, *præsente clero*, et *etiam solus potest infirmum ungere*. Quare et Eugenius IV. in dicto Decreto, et Concilium Tridentinum can. 4. nup. cit. sacerdotem numero singulari dicunt ministrum esse hujus sacramenti. Denique ab uno sacerdote administratum unctionis extremæ sacramentum fuisse, novimus ex vita S. Eugenii, ex Everhelmo in vita S. Popponis, ex Prudentio Tricassino, qui solus S. Mauram inunxit, ut ipse in ejus vita consignavit. (Patrol. t. 115. p. 1374.)

330. *Obj. I. cont. 1^{am}. concl.* Nomen græcum πρεσβύτερος, quo Jacobus utitur, significat seniorem, virum spectabilem, aut legatum; ergo per τὸ presbyteros, recte intelliguntur ætate majores, aut primores in populo.

R. N. Cons. Evidem aliquoties in Evangelio et Actis Apostolorum vocabulum *presbyter* magistratum populi significat: alias tamen semper Actis eisdem et Epistolis canonicas, soli, qui dignitate seu ordinatione sua ad episcopalem et sacerdotalem gradum evecti sunt, hoc nomine appellantur. 1. Pet. 5. v. 1. *Seniores* (πρεσβύτεροι) qui in vobis sunt, obsecro, consenior (συμπρεσβύτεροι) et testis. B. Joannes initio secundas et tertias epistolæ scribit: *Senior* (πρεσβύτερος) *Electæ: senior* (πρεσβύτερος) *Caio*. Quæ quidem significatio vel maxime in hoc loco epistolæ S. Jacobi valet: nam imprimis dicuntur *presbyteri Ecclesie*: deinde jubentur precari et ungere *in nomine Domini*: ac denique ipsorum precibus et unctioni promittitur remissio peccatorum, relevatio et salus ægroti; quæ functiones non senioribus ætate, sed legitime vocatis Ecclesie ministris convenient. Quod si annis provectiones intellexisset B. Jacobus, exclusisset ab hoc sacro ministerio Episcopos et ministros Ecclesie quorum quidam tunc temporis adhuc juvenes ordinabantur, ut S. Timotheus, 1. Tim. 4. v. 12.

Insl. 1. V. Beda ad c. 5. Jacobi scribit (opp. t. 4. p. 39. Patrol. t. 93.), monendos esse infirmos, ut seniorum adjutorio curari se meminerint, neque ad juniores minusque doctos causam suæ imbecillitatis referant; ergo per presbyteros intellexit ætate provectiones.

R. N. Cons. Verba Apostoli: *Infirmitur quis in vobis?* primo accepit moraliter, pro infirmitate animi alieno consilio egentis, cui sanande non juvenes, sed senes querendi sunt. Tum vero ad sensum litteralem versus, Innocentii I. rescriptum ad Decentium laudat, et in eadem verba: *Infirmitur, etc. inducat presbyteros, etc. ait, hoc et Apostolos fecisse, in Evangelio legimus, et nunc Ecclesie consuetudo tenet, ut infirmi oleo consecrato unganatur a presbyteris.*

Inst. 2. Idem Innocentius epist. cit. *Oleo chrismatis*, inquit, ab Episcopo confecto non solum sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet, in sua aut suorum necessitatibus inungendo. Ergo præter presbyteros, putavit, alias adhuc esse hujus sacramenti ministros: nam quæsierat Decentius, an soli sacerdotes essent sacræ unctionis ministri?

R. N. Cons. Cum S. Jacobus jubeat induci presbyteros, quæstio tantum erat Decentii, an soli sacerdotes, Episcopos exclusis, sacram unctionem conferre possint? Multo magis hoc munus Episcopo competere affirmat Innocentius. Tum vero subjungit, eodem oleo per Episcopum consecrato posse Christianos omnes tam sese, quam alios infirmos inungere, sed hæc inunctionio non erat sacramentalis. Exemplum simile nobis præbet usus antiquus et hodiernus fidelium, qui aqua ad conferendum baptismum consecrafa, aliisque rebus ab Episcopo aut alio sacerdote benedictis passim utuntur ad levandos dolores, morbosque depellendos. Ita quondam oleo isto infirmorum, sine forma sacramentali, ex sola pietate, non infirmos tantum se aut alios, sed energumenos etiam linebant. Ut de S. Macario narrat Palladius, Historiæ Lausiæ c. 20., de Eutychio Constantinopolitano Eustathius presbyter. Gregorius Turon. in vitis PP. c. 12. n. 2. refert S. Martium Abbatem quartanis, tertianisque febribus hoc oleo mederi solitum. S. Genovefa virgo energumenum ita curavit, ut Surius in ejus vita recenset.

331. *Obj. II. cont. 2^{am}. concl.* Apostolus ait: *Inducat presbyteros: orent super eum, ungentes.* Ergo ex mente Jacobi unus presbyter ad ministerium hujus sacramenti non sufficit.

R. N. Cons. Apostolus utitur phrasim solita S. Scripturæ. Hebr. 11. dicitur: *obduraverunt ora leonum, lapidati sunt, secti sunt*: cum tamen solus Daniel ora leonum obduraverit, solus Jeremias lapidatus, solus Isaías ex Prophetis sectus fuerit. Scribunt Matthæus et Marcus, latrones de cruce maledixisse Christo, cum tamen Lucas diserte testetur, unum duntaxat hoc fecisse, ut observat Augustinus L. 2. de consensu Evangelist. c. 16. Christus léprosis mundandis dicit, Luc. 17. v. 14. *Ostendite vos sacerdotibus*: cum tamen sufficiat, uni se ostendisse sacerdoti, Lev. 14. v. 2. Est ergo tantum enallage numeri; ut cum dicimus, oratione indefinita, solos presbyteros posse absolvere a peccatis: medicos accersendos, quando vis morbi ingruit. Nec enim unus multis confitetur sacerdotibus, et unus expertus medicus sufficit ad ægrotum curandum.

332. *Ex hactenus dictis collige:* Quilibet sacerdos valide administrat hoc sacramentum, cum ad id muneric sufficiat sola potestas ordinis. Hinc urgente mortis periculo, et absente proprio Pastore, quilibet presbyter, etiam

religiosus, sacramentum hoc ministrare infirmo potest, ut contra Navarrum ostendit Dom. Sotus : et S. Carolus Borr. statuit, ut absente Parocho, *alius sacerdos administret*. Quod si Religiosi alias in hoc se ministerium ingresserint, incident in excommunicationem soli Pontifici reservatam : cæteri clericci id audentes gravi tantum peccato se obstringunt.

ARTICULUS III.

QUÆDAM PROPRIETATES ET AFFECTIONES SACRAMENTI EXTREMÆ UNCTIONIS.

333. *Dico I.* Extremæ Unctionis sacramentum ministrari debet solis infirmis adultis periculose ægrotantibus. Ita S. Carolus Borromæus in IV. Concilio Mediolanensi tit. VI. (Labb. t. 48. p. 458.)

Constant hæc ex epistola Jacobi : *Infirmatur quis in vobis?... oratio salvabit infirmum*. Deinde declarat Concilium Tridentinum cap. 3. esse hanc unctionem infirmis adhibendam : *præsertim qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur*. Ex eodem Concilio Mediol. dicimus, dandum esse hoc sacramentum *senio confectis, etiam non ægrotis, in diem morituris* : defectus enim virum, quo laborant homines senio confecti, gravis est infirmitas. E contra minime ministrandum est *pueris rationis usu carentibus*, ut idem Concilium Mediolanense tradit : nec enim capaces sunt effectuum præcipuorum hujus sacramenti. Neque dari debet mulieribus paritutris, ad bellum proficiscentibus, navigantibus, peregrinantibus et iis, qui mox ultimo suppicio mactandi sunt. Nam licet his vitæ immunneat periculum, si ægroti non sunt, iis non accensentur, quos infirmorum nomine Apostolus intelligit.

334. *Dico II.* Ægroti periculose decubentes ad sacram unctionem percipiendam non tenentur præcepto divino. Ita S. Thomas in 4. d. 23. a. 1. q. 3. ad 1., Paludanus, Dom. Sotus, Gabriel, Navarrus c. 22. n. 16., Covarruvias in c. Alma. 2. p. §. 2. n. 6.

Prob. I. Tale præceptum non sequitur ex natura et institutione hujus sacramenti : nec enim est necessarium hoc sacramentum ad salutem, sed tantum utile, et ad melius esse. Neque enim extat de ea obligatione præceptum divinum : Jacobus enim sacramentum hoc promulgando, nullo verbo utitur, quod præcipiendi vim habeat, sed simpliciter ait : *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros*.

Prob. II. Ecclesia non injungit præceptum de suscipiendo aliquo sacramento, nisi præceptum divinum supponatur : nullum autem extat præceptum divinum de extrema unctione suscipienda ; ergo neque præcepto ecclesiastico urgemur ad sacramentum hoc obvium.

Sed nec Theologis tale præceptum ex sufficienti aliqua traditione aut consuetudine introductum esse videtur. Quid? quod Concilium Tridentinum Sess. 7. can. 4. de Sacram. in gen. protestatur, non omnia sacramenta singulis esse necessaria. Et Sess. 14. cap. 3. dicit, unctionem extremam non posse a fidelibus sine peccato contemni.

Denique cum Ecclesia tempore interdicti permittat fidelibus ministrari ea sacramenta, quæ sunt necessaria; hoc tamen minime permittit, ut habetur c. *Quod in te*, de pœnit. et remiss. Quod argumento est, sacramentum hoc non esse ad salutem necessarium absolute, nec ejus usum divino præcepto injunctum.

335. *Dico III.* Sacramentum extremæ unctionis iterari potest. Thesis est contra Goffridum Vindocinensem Abbatem et Cardinalem L. 2. epist. 19. (inter opera Sirmond. t. 3. p. 700.) cui consensit Ivo Carnutensis Episc. epist. 20., et contra alios seculi XII. scriptores, quos confutat Petrus Cluniensis L. 3. epist. 7. (Biblioth. Cluniacensis. p. 887.).

Prob. I. Eugenius IV. in decreto ad Armenos, docet, Baptismum, Confirmationem et Ordinem, quod characterem in anima indeleibilem impriment, iterari in eadem persona non posse : reliqua vero quatuor characterem non imprimere, et *reiterationem admittere*. Speciatim autem de hoc sacramento, Sess. 14. cap. 3. Si infirmi, inquit, post susceptam hanc unctionem iterum convaluerint, *iterum hujus sacramenti subsidio juvari poterunt*, cum in aliud simile vitæ discriminem inciderint.

Prob. II. Olim durante eodem infirmitatis statu iterabatur sacra unction. Eam septies in eadem infirmitate repetendam esse præscribatur in sacramentario S. Gregorii, editionis Menardi p. 253. eumdemque ritum ex pluribus Ritualibus probat P. Martene L. 4. de antiquis Eccl. rit. c. 1. a. 2. n. 3. Verum a multis seculis usus Ecclesiae obtinuit, ut nonnisi semel in eadem infirmitate eodemque statu posito sacra unctione ministretur. Quod si tamen ejusdem morbi vis ita remiserit, ut ægrotus mortis periculum evassisse censeretur, quin tamen a morbo plane sit liber, postea vero recrudecente malo in periculum simile mortis recideret, denuo ei sacramentum hoc impertiendum esse consentiunt Theologi cum S. Thoma in 4. d. 23. q. 2. a. 4. q. 2.

336. *Dico IV.* Olim extremæ unctionis sacramentum ante S. Eucharistiam ægrotis ministrabatur. Ita S. Thomas et alii, quos citat Suaresius disp. 44. sect. 1. n. 9.

Prob. I. Theodorus Cantuar. relatus c. *Ab infirmis*, 26. q. 7. hanc seriem præscribit : ut infirmi, post confessionem sacra unctione inuncti, communione viatici reficiantur. S. Bernardus in vita S. Malachiae (opp. t. 4. p. 689. edit. Mabill.), *ungitur*, inquit, *Episcopus, et sumpto viatico, ad lectum revertitur*. Petrus Cluniac. L. 3. epist. 4. ita scribit : *A domino Viseliaciensi Abbe eum inungi, ac sacri corporis viatico refici fecimus*. S. Arnulphum prius inunctum die sabbati fuisse, postea vero ad vesperam viaticum sumpsisse Surius refert c. 50. ejus vitæ, die 15. Aug. B. Gertrudis L. 3. Divinar. insinuation. 2. 29. narrat, ægrotis imprimis ministrari solitum sacramentum pœnitentiæ, deinde extremæ unctionis, ultimo Eucharistie in viaticum.

Et congruebat quidem, tum quod Eucharistia finis est omnium sacramentorum, ad quam cætera quodammodo referuntur, tum quod illi præmitti decet perfectissimam animæ purgationem, etiam quod reliquias

peccatorum, tum quod viaticum detur discussuris; cum e contra unctionio conferatur, ut quandoque iterum convalescant. Sed quoad hunc ordinem inspi-ciendi sunt libri rituales singularum diocesum: nam per se talis ordo non requiritur, eo quod extremae unctionis dispositio sufficiens sit perfecta contritio de peccatis, quorum sibi conscientia est æger: neque etiam de hoc sacramento invenimus speciale latum esse præceptum præmittendi confessionem, ut de Eucharistia compertum habemus.

Ex accidente tamen necessarium plane est, præmitti confessionem: sacramentum enim unctionis supponit hominem jam in extremo mortis articulo, in quo necesse est, omnia peccata mortalia confiteri. Quo quidem in periculo præstaret omitti unctionem extremam, quam pœnitentiæ sacramentum.

337. *Obj. cont. 2^{am}. concl.* Concilia et Patres verba Jacobi explicantes indicant præceptum divinum et ecclesiasticum esse, ut infirmi hoc sacramento utantur.

R. N. *Assumpt.* Quod Theodorus Cantuariensis in libro Pœnitentiali præcipiat, infirmos, secundum auctoritatem canonicaem, sacra unctione olei inungi, et communione viatici refici secundum statuta SS. Patrum, indicat, præceptum esse Pastoribus, administrare sacram unctionem ægrotis, pro quibus ea petitur.

Neque est par ratio unctionis et communionis viatici, ut aliqui ex allata sanctione volunt argumentari; alias dicam, *orationes et consolationes ecclesiasticas* divino præcepto requiri, nam et his ægrotum refici Theodorus jubet. Nec magis causam adversariorum juvat canon 48. Conc. Chabilonensis: non enim ait, ex præcepto divino debere suscipi hoc sacramentum, sed secundum Apostoli documentum, cui etiam documenta Patrum consen-tiunt, ungi infirmos debere. Eodem modo dum Concilium Coloniense an. 1536. habitum, cap. 50. part. 7. ait, impendendam esse unctionem cum expositione unctionis et mandati Apostolici, loquitur de mandato, quo ritus et modus sacramenti hujus administrandi ac suscipiendo præscribitur, non vero quo usus ejus simpliciter jubetur. Et, ut cum scholis loquar, mandatum est quoad specificationem, non quoad usum absolute latum: cuiusmodi præceptum Domini Paulus 1. Cor. 7. v. 10. declarat de matrimonio.

Denique Concilium Senonense in decretis fidei decreto 10. (Labb. t. 14. p. 454. A.) negat, sacram unctionem nostram esse præceptum illud Christi, quod Marci 6. v. 13. expleverunt Apostoli ungendo infirmos: sed ait, esse sacramentum, idque verbis Jacobi, *infirmatur quis*, etc. confirmat.

Inst. 1. Qui sacramentum extremæ unctionis contemnit, sine dubio in jus divinum peccat: atqui qui sacramentum hoc, cum potest facile accipere, negligit, saltem facto censetur illud contemnere; ergo jure divino obligantur omnes ad usum hujus sacramenti.

R. D. *Cons.* Ad usum hujus sacramenti jure divino omnes obligantur per se et absolute N. ex accidente C. Synodus Tridentina decidit quidem sacramentum hoc non posse sine peccato contemni, studiose tamen omittit desinere, utrum sit peccatum mortale, eo quod in contemptu ipso gradus esse possint, et ex imperfecta deliberatione contemptus levis detur. Neque per se

peccaret mortaliter, aut gravis contemptus se reum faceret, qui ideo sacramentum hoc non peteret, quod non esset præceptum, aut quod aliunde difficultatem et repugnantiam sentiat. Igitur ad gravem contemptum requiritur, ut quis parvi pendat sacramentum et fructus ejus: qui quidem contemendi modus vix esse potest, nisi in eo, qui errore vel heresi circa hoc sacramentum laborat. Quod si quis sacramentum hoc, quod facile accipere posset, respuit, merito in eo præsumitur esse talis contemptus, meritoque talibus sepultura ecclesiastica interdictur cap. ult. Conc. Coloniensis sub Adolpho Episcopo celebrati an. 1549.

Inst. 2. Quo jure effectus est necessarius, eodem necessaria est causa: atqui jure naturali et divino tenemur superare tentationes dæmonum, quæ sub finem vitæ sunt gravissimæ; ergo tunc tenemur jure naturali et divino adhibere extremam unctionem, tanquam medium a Christo institutum ad tentationes illas superandas. *Confirmatur* argumenfum inductione confirmationis, quam imminente persecutione Christianus quilibet suscipere tenuit, ut adversus hostes fidei roboretur.

R. D. M. Eodem jure est necessaria causa, si hæc sit medium unice necessarium ad effectum obtinendum C. si sit medium valde utile ad effectum, qui per causas alias obtineri adhuc possit N. Quamvis extremæ unctionis sacramentum conferat plurimum ad vincendas dæmonum insidias; tamen per orationes et sacrificia, aliosque modos juvari ægrotus potest. Non ergo est sacramentum hoc tam necessarium medium, ut ob illius defectum homo se morali et proximo periculo exponat peccandi mortaliter in alio genere, seu consentiendi temptationibus demonis. Igitur ratione periculi, cui se expedit omittens hoc remedium contra insidias inimici, non est per se peccatum mortale.

Exemplum de confirmationis sacramento nihil probat. Nam S. Thomas in 4. d. 7. q. 1. a. 1. q. 2. et in 3. parte summæ q. 77. a. 8. ad 4. docet, secluso contemptu, non esse peccatum mortale omittere sacramentum confirmationis toto tempore vitæ. Cujus sententiam amplectuntur Sotus, Ledesma, Adrianus, Navarrus, et plures alii, quos recitat et sequitur Suaresius tom. 3. disp. 38. sect. 1. et rationem reddit, quod neque in S. Scriptura, neque in traditione extet præceptum de confirmationis sacramento suscipiendo. Si enim Patres scribunt, requiri confirmationem ad perfectionem et plenitudinem hominis Christiani, perfectionem substantiam non intelligunt, quæ solo baptimate confertur: neque etiam indicant plenitudinem sufficientiæ, sed loquuntur de plenitudine abundantiae, et de christiano milite consignato, ut Alensis advertit.

Quod si confirmatione jure divino esset præcepta, daretur fidelibus in articulo mortis; quod Ecclesia tamen non solet. Sed et alias non inducit fideles ex necessitate quadam obligando ad susceptionem confirmationis, sed tanquam invitando ad id, quod per se bonum est ac utile.

Denique constat, confirmationis sacramentum esse quidem valde efficax et maxime utile ad perseverandum in fide, non tamen esse simpliciter necessarium, eo quod sint alia media ad finem hunc obtinendum sufficientia, ceu oratio, meritum, exercitationes virtutum, Eucharistia et similia. Igitur propter hunc quoque sacramenti finem non videtur illud esse præceptum

proprie et intrinseca sacramenti obligatione; et consequenter dicendum, et vi objecti et intrinsecæ obligationis nullum esse peccatum, confirmationis sacramentum omittere.

Quamvis ejus neglectus ex accidente peccatum dici possit, nimur ratione contemptus aut scandali; item ratione conscientiae et caritatis propriae: ut si practice quis sibi persuadeat, se non posse sine hoc medio tentationes contra fidem vincere. Quæ omnia de negligentibus sacram unctionem dici posse, nuper indicavimus.

TRACTATUS

DE

ORDINE ET MATRIMONIO.

PROOEMIUM.

1. Si S. AUGUSTINUM observamus Lib. 49. de Civit. cap. 13. *Ordo est patrum dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio.* At ampla nimis, atque æquo generalior plerisque videtur ea ordinis acceptio. Quod si tamen res ea inter se diversæ certa quadam graduum superiorum atque inferiorum varietate distinctæ sibi mutuo ita nectantur, ut una referatur ad alteram, atque ad unum tendant, hoc sensu data ab AUGUSTINO notio ordinis vel maxime usum habet; et vero si præcipuam vim ordinis et notionem attendamus, ex se idem sonat, ac dispositio supremarum et inferiorum rerum, quæ sunt ita aptatae inter se, ut una ad alteram referatur. Quin hoc sensu ab antiquis Patribus, scriptoribus Ecclesiasticis, atque Theologis frequenter ac proprie ordo accipitur pro *Hierarchia Ecclesiastica*, sive pro certo hominum statu in Ecclesia, in quo varii sunt distinctique gradus ordinum, sive ministrorum, ita ordinati, ut sit graduum subordinatio, perque minores ad maiores ascendatur, omnesque in eundem finem tendant.

2. Æque frequenter iisdem ordo gradum certum ac dignitatem significat, quæ sic communis est multis, ut tamen sit ipsis propria, illosque discernat a cæteris omnibus: uti enim in republica civili varii distinguuntur ordines, ut ordo senatorius, ordo equestris; sic in Ecclesie hierarchia ordo Episcoporum; ordo Sacerdotum; ut apud AUG. epist. ad Generos. quæ est 163. (al. 53.), Tertullian. de exhort. Castit. c. 7. Illaque ratione jam a primis Christianæ religionis nostræ incunabulis ministri Ecclesie dicebantur ordo, teste TERTULLIANO de Idololat. c. 7.; cum e contra plebis appellatione venirent, quicumque in Ecclesiasticum ordinem non essent adlecti, quos et jam tum TERTULLIANUS frequenter *laicos*, seu *populum* appellabat, ut L. de Monogam. c. 11. *Quomodo totum ordinem Ecclesie de monogamis disponit, si non hæc disciplina præcedit in laicis, ex quibus Ecclesie ordo proficit.* Alii etiam seculares dicebant: item *idiotas*, hoc est, privatos homines, non autem indoctos, teste Binghamo, Orig. Eccles. vol. 1. pag. 41.

3. At vero ordo a Theologis ubi de sacramento hujus nominis disputant, quasi translato nomine effectus ad causam, et, phrasí Scholæ, *active* sumitur, hoc est, pro ritu, vel actione illa, qua cui confertur potestas sacra ad celebrandum Eucharistiæ sacramentum, vel illi ministrandum, itaque in ministrorum Ecclesie et hierarchiæ Ecclesiasticæ ordinem evexitur. Quo quidem sensu rectius *ordinatio* diceretur. Hac enim consideratione sola ordo sacramentum est, quippe in fluente et transeunte actione consecrantis, vel